Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36520
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Dux sapiens, felix nostrae res publica Romae
Iustitia regnante uirum parere magistro.
Sceptra gubernantis monuit ut tetrum errorem
Utque superstitio ueterum procul absit auorum
Nec putet esse deum nisi qui super omnia summus
Emineat magnique immensa creauerit orbis.

DE SATYRHO

Nunc mei Saturnus auos rexisse Latinos
Creditur, edictis qui talibus informauit
Agrestes animos et barbara corda uirorum.
Sum deus, aduenio fugiens, praebete latebras.
Occultate senem nati feritate tyranni.
Deiectum solio placet hic fugitiuus et exul.
Ut lateam, genti atque loco Latium dabo nomen.
Vitibus incuruum si quae est ea cura putandis
Procudam chalibem necnon et moenia uobis
Fluminis in ripa statuam Saturnia uobis. te
Vos nemus adpositasque meo sub honore sacran
Sum quia nam caelo genitus celebrabitis aras.
Inde deos quorum patrias spectata sepulchra
Sculptos in aere hebetes informauere minores.
Aduena quos profugus gignens et aequa libido.
Intulit Ytaliae Tuscis namque ille puellis
Primus adhinniuit simulato numine moe

DE IOVE. chus

Mox patre deterior siluosi habitator Olympi
Iuppiter incesta purgauit labe Lacenam
Nunc boue subiectam rapiens ad crimina amatam
Nunc tenera pluma leuior blandoque susurro
In morem recinens suaue immorientis oloris.
Capta quibus uolucrem uirguncula fertur amorem
Nec foribus surdis sera quos uel pessulus arus.
Firmarat cuneis percussi diues amator
Imbricibus rupti undantis desuper auri
Infundens pluuiam gremio excipientis amicae.
Armigero mox sordidulam curante rapinam
Compressum in mundo miserum afficiens catamitum
Pelicem iam puero magnus indignante sorore.
Haec causa est et origo mali quod saecla uetusto
Hospite regnante crudus stupor aurea finxit.
Quodque nouo ingenio uersutus Iuppiter astus
Multiplices hic namque dolos texebat ut illum
Vertere cum uellet pellem facieque putarent
Esse bouem praedari aquilam canere cignum
Et nummos serere et gremium penetrare puellae.
Nam quod rusticitas non credere indomitorum
Stulta uirum pecudes inter ritusque ferinos
Dedere sueta alium diuae rationis egenum
Inque cuique fide nebuloni callida traxit
Nequitia infelix facile genus praebuit aurem.
(S)uccessit Ioui in ipso corruptior aetas
Quae docuit rigidos uitii seruire colonos
Expertes furandi homines hac imbuit arte.
Mercurius Maia genitus nec magni habetur
Ille deus cui de deo experientia furti
Nec non Thesalicae doctissimus ille magiae
Traditur extinctas sumptae moderamine uirgae
In lucem reuocasse animas Cocytia leti
Iura resignasse sursum reuolantibus umbris
Ast alias dampnasse neci penitusque latenti
Inmersisse chao. facit hoc ad utrumque peritus
Ut fuerit geminoque armarit crimine uitam
Murmure nam magico tenues excire figuras
Atque sepulchrales scite incantare fauillas.